



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput I. Ex Concilio (a) Mediolanen.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)



TITULUS XXXVIII.

De Jure Patronatus, & Ecclesiis à laicis concessis.

CAPUT I.

Ex Concilio (a) Mediolanen.

DERELATUM ad nos est, quod inter hæredes Ecclesiæ in (b) rebus propriis constituta dividantur, & tanta per eandem divisionem similitas oriatur, ut unius (c) altaris quatuor partes fiant, & singulæ partes singulis habeant presbyteros, quod sine (d) discordia & similitate nullo modo geri potest: unde nobis visum est, quod hujusmodi Ecclesiæ inter hæredes dividi non debeant; & si in contentionem venerint, & similitates inter eos surrexerint, per quas sacerdos suo ibi officio canonicè fungi non possit, præcipiatur ab Episcopo civitatis, ut nullo modo ibi Missarum solennia celebrentur, donec illi ad (e) concordiam redeant, & pari voto, atque concilio Ecclesia illa sacerdotem canonicè habeat, qui liberè ibi suum (f) ministerium peragere possit.

NOTÆ.

1. (a) *Mediolan.*] Ita legitur in hac sexta collectione; in prima autem, *sub hoc tit. cap. 1.* & apud Burchardum *lib. 3. Decreti, cap. 42.* Carnot. *p. 3. Decreti, cap. 46.* textus hic citatur ex Concilio Mediomatric. Et licet nulli extant canones Synodi habitæ à Carolo Magno in Mediomatrici civitate, de qua Simondus ad Capitularia Caroli, *cap. 208.* tamen quia in Synodo Cabilonensi celebrata tempore ipsius Imperatoris anno 813. transcripti fuerunt plures canones editi in Synodis præcedentibus, ideo in canone 26. ipsius Concilii reperiuntur verba hujus textus, ex quo, & antiquis Decretis ita ea restituo.

2. (b) *Ecclesia in rebus propriis.*] Hinc apparet, jus patronatus in præsentem quæsitum fuisse ex donatione fundi ad Ecclesiam ædificandam: quo modo dominus prædii jus patronatus consequitur, *cap. Abbatem 18. quæst. 2. Lambertinus lib. 1. de jure patron. p. 1. libro 1. quæst. 7. artic. 2. Barbosa de jure Eccles. libro 3. cap. 12. num. 28. Mancinus sacri juris controvers. dissert. 9. dicemus infra in cap. nobis.* Deinde deducitur, jus patronatus Ecclesiæ appellari Ecclesiam ipsam, sicut & beneficium ipsius Ecclesiæ, & Prælatum dicitur Ecclesia, *cap. præterea, capite consultit, hoc tit. c. 3. ne Prælati vices suas:* notant ferè omnes antiquiores hæc; si enim Ecclesia in præsentem acciperetur strictè pro ipsa Ecclesia, dæremus in ea successionem admitti, contra adducta in *c. 1. præb.*

(c) *Altaris.*] Id est Ecclesiæ, plerumque enim Ecclesiæ altaria dicuntur, *capite quæsitum 1. quæst. 3.* & Ecclesia altare dicitur forsan ex eo, quod olim in unaquaque Ecclesia unum tantum erat altare, ut probat Vicecomes *lib. 3. de Missarivibus, cap. 29.* & latius dicemus in *cap. 4. de consec. Eccles.*

(d) *Discordia.*] Certum enim est, quod sicut vivere simul, & commorari, ita & eandem res communiter possidere difficile est, cum rerum communio plerumque pariat discordias, *l. cum pater 77. §. dulcissimis, ff. de legat. 2. l. in re communi 26. de servit. Urban. Illustrat Fernet. lib. 3. rerum quotid. cap. 8.* Unde nemo cogitur in communione permanere, *l. 14. §. 2. ff. communi divid. l. ult. C. eod. tit.*

(e) *Concordiam.*] Veluti ut æternis vicibus, cum Ecclesia vacaverit, presbyterum præferrent, ut plerumque fit in his rebus, quæ individue sunt.

(f) *Ministerium.*] Hoc est Missæ sacrificium, quod frequenter ministerium appellatur. Suidas verbo *Lithurgia*, ibi: *Lithurgia propriè dicitur ministerium.* Divus Jacobus in sua *Lithurgia*, ibi: *Absolvat exhibitionem sacri hujus ministerii.* Amphilocheus in vita S. Basilii: *Eamus ad peragendum sanctum Dei ministerium.* Metaphrastes in vita SS. Petri, & Pauli: *Domini sacrum obeuntes ministerium.* Illustrat Vicecomes *vol. 2. de Missarivibus, lib. 1. cap. 7.*